

ratio est pretiosior vel minus pretiosa & estimabilis.

1095. **QUERITUR 2.** An in iste contractus sit justus, necessarium sit, cum, qui assentur, adhibere aliquam operam: pretio estimabilem. *Afirmavit Conradus de contractibus q. 71.* Negativa tamen est certa, & omnium aliorum, sufficere, ut quis in se recipiat rei periculum, etiam si nullam aliam operam estimabilem praestet. Ratio est, quia hac asecuratio, etiam remotâ omni operâ est pretio estimabilis.

Objicit Conradus. Talis asecuratio nec est proficua Reipublica, nec ipsi contrahentibus honesta, quia volunt otlando lucrari, contra illud Genesis 3. *In sudore vultus tui.* Sed hac sunt admodum levia. Nam in primis telis asecurandi licentia est admodum proficua Reipublica, quia allicit mercatores, ad libentius transportandas merces, quia se uris. Neque est ulla inhonestas, in gratiam alterius exponere se periculo jacere, cum aliqua spe lucri. Neque ad rem facit illud Genesis 3. alioquin divites non deberent comedere, nisi prius in lucrando pane sudassent. Est enim mera denunciatio poenae duratura in posteris, est non in singulis.

1096. **QUERITUR 3.** An ad valorem hujus contractus requiratur, ut a parte rei subit periculum, vel spes aliqua contra periculum seu rei interitum, v. g. an valeret contractus, si res asecuranda a parte rei, dum celebratur contractus, jam sit extra periculum, quia jam navis est in portu: e contra, si jam a parte rei perierit. *Ex omnium sententia, hoc non requirit, sed sufficere, si in estimatione hominum periculum & spes salvandi subit.* Ratio est, quia tunc adhuc asecuratio habet suam estimabilitatem in communi hominum judicio. Alioquin raro valeret asecuratio, quia communiter ex post facto patet nullum fuisse periculum, quia fuit optima tempestas, nulli pirata vagati sunt per mare, &c. Verum

1097. **QUERITUR 4.** An ob sit valori contractus, si alter contrahentium jam habet notitiam de rei veritate, v. g. asecurans certis nuntiis accepit, navim jam esse in portu, an adhuc possit pro asecuratione petere pretium: e contra si ille qui rem vult habere securam, scit jam perisise, an possit adhuc contrahere, & alterum sibi obligare ad asecurandum. *Non valere, & hac responsio est conformis omnium sententia, quia talis contrahens committeret fraudem: & plane deciperet alterum, simulando periculum: & intentio alterius contrahentis, cum sit contractus bonae fidei, in hoc se fundat, quod secundum utriusque estimationem res sit dubia, & periculosa. Neque bonum Reipublicae requirit, ut hujusmodi asecuratio valeat, sed solum, ut valeat, quando res est in dubio.*

Declaratur autem res in exemplo empirionis. Si quis haberet vitrum, sciens esse vitrum,

emptor autem dubitaret, an non esset gemma, non possit venditor accipere pretium, non solum illud, quod valeret vera hujusmodi gemma, sed neque possit accipere illud, quod in communi hominum estimatione sub tali dubio illud vitrum valeret, sicut possit accipere, si uterque dubitaret, & se fortunâ committeret. Sic res habet in nostro proposito.

Vnde per doctrinâ consequentiam recte infert Lugo contra Lessium, quod si asecuranti certo constaret, periculum esse valde exiguum, v. g. per litteras amici sciret, Piratas eodie alio excutisse, non posse pro periculo communiter existimato totum pretium accipere, sed minus, quantum v. g. est ex tempestatibus timendum. Ratio est, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita minus ad minus. Argumenta autem P. Lessii contra ipsum Lessium probant, nempe quod valeret contractus, etiam quando asecuranti evidenter constaret, rem jam esse extra periculum. Itaque in hoc contractu pretium taxatur secundum estimationem periculi quam habent contrahentes.

Objicit Lessius instantiam. Qui privatâ scientiâ scit, paulo post futuram abundantiam frumenti, potest nihilominus frumentum vendere eo pretio, quo venditur communiter ab aliis, ergo idem dicendum erit in nostro casu. Jam ante dixi, hoc argumentum retorqueri posse in suum auctorem, in impe quod possit accipi totum pretium asecurationis etiam ab eo, qui scit rem jam esse extra periculum, dummodo hoc aliis sit ignotum, quod tamen negat ipse Lessius. *ergo negando paritatem, quia in venditione frumenti non mensuratur pretium ex estimatione periculi de futura vel non futura abundantia, nec hoc periculum deducitur in contractum, sed ab hoc praescinditur.*

1098. **QUERITUR 5.** Ad quid tenetur ut asecuratur quando non totum, sed v. g. dimidiam partem spondet securam, & proportionatum pretium petat. In hoc puncto tria docet P. Molina d. 307. n. 9. 1. Docet. Si fuerit designata certa pars determinata, & in particulari asecuranda, v. g. committit navi frumentum, & oleum, & contrahit solum de oleo asecurando, tunc si oleum pereat, tenebitur asecuratur, etiam si frumentum salvetur: tenebitur, inquam, in quantum de oleo perit. si vero frumentum pereat, & oleum salvetur, ad nihil tenetur. 2. Docet. Si nihil in particulari designetur, sed solum ex illis mercibus v. g. duo mille aureorum valor, cum forte tota res valeat sex mille, tunc si merces omnes pereant, solvendi sunt integri duo mille aurei. 3. Docet. Si vero pereat dimidium illarum mercium, quae asecurata fuerunt sex mille aureis, solvendi sunt solum mille aurei. Ita Molina. In primo & secundo assentior. in tertio non assentior, sed dico cum Card. de Lu-


go, quod tunc ad nihil teneatur asecuratur, imò ad nihil teneretur, si 4. millia perisissent, dummodo duo millia salva essent. Ratio est, quia intentio contrahentium fuit, ut saltem duo millia sint salva: atqui hoc fecerit in casu posito, ergo asecuratur verificavit totum quod promissit: & consequenter debetur illi pretium totum constitutum.

1099. **QUERITUR 6.** An quis possit petere asecurationem mercium quas fingit se intulisse navi: adeoque, si navis omnino pereat, possit petere ab asecuratore valorem mercium quas finxit se intulisse, & quae utique perisissent, si fuissent illatae. *Contractum esse nullum: quia asecuratur non consentit in talem casum. Uno verbo, quia non subest ullum periculum perdendi merces, cum nulla sint illatae.*

1100. **QUERITUR 7.** An possit in hoc contractu asecurari vita alicujus personae ad certos annos, non quasi vita aestimetur, cum nullo pretio aestimari possit, sed quia aestimatur

interesse alterius, & damnum quod subiret, si alter moreretur. *Ex affirmativè. Exemplum afferunt DD. v. g. si quis assumatur in Episcopatum, & petit a mercatore murum ad expediendas Bullas, & ad impetrationem Confirmationis, hac conditione, ut illam summam solvat successivè per 5. annos. hoc casu potest mercator petere sibi asecurari vitam Episcopi per 5. annos, ut se servet indemnem.*

Objici possit, hanc esse occasionem invidiandi vitae illius, cujus vita asecuratur. *Hoc non provenire per se loquendo, & ex natura asecurationis, sed ex malitia illius qui petit asecurationem, alioquin neque donatio causâ mortis, neque institutio heredis deberet valere, quando de donatione constaret donatario, vel de institutione heredi. Communiter ergo abest hujusmodi periculum, quia asecurans potius desiderat vitam illius, sicut mercator desiderat merces salvas. Et hac de his Contractibus innominatis.*



## CAPVT XIII.

### DE QUASI CONTRACTIBUS,

Seu

### DE OBLIGATIONIBVS, QVAE QUASI EX CONTRACTV NASCVNTVR.

#### CONTROVERSIA I

#### De Quasi Contractibus in genere.

#### S V M M A R I V M.

**V**ariae definitiones Quasi Contractuum. 1102. Referuntur sex species. eod. An praeter relatas dentur aliae. 1103.

1101. **F**requens est juris usus, ut ea quae cum altero similitudinem aliquam habent, nec nomen propriè sub illius nomine veniunt, Quasi talia dicantur. Sic dicitur Peculium Quasi Castrense, Quasi Cusfructus, actio Quasi Serviana, Quasi Possessio.

Quandoquidem ergo cum contractibus propriè dictis, & hactenus in disputationem ad-

ductis, aliquam similitudinem habent obligationes aliqua, vel potius obligationum cause, quae tamen proprio contractus nomine appellari non possunt, eo quod non interveniat duorum consensus realiter, sed tantum praesumatur, aut à lege fingatur, aut suppleatur, ideo à Justiniano dicuntur Quasi ex contractu nasci: & nobis cum eodem hoc loco sunt explananda.

1102. Solent autem asserri variae definitiones Quasi Contractus in genere, quae tamen in idem recidunt. Haec praesertim definit Negotium,

gotium, quoddam quo quis alteri sine tractatu vel conventiono obligatur. Exactior videtur definitio VVilhelmi Ludwel, quod sit Tacita seu præsumpta conventio, ex qua median- te facto aliquo producitur obligatio.

Referuntur autem à Iustiniano in titulo de oblig. que quasi. sex species (alii duas in unam confundentes dicunt quinque) nempe sequen- tes. Prima est & præcipua, negotiorum Gestio. Secunda Tutelæ administratio. Tertia rerum communio. Quarta (quam alii cum priore con- fundunt) hereditatis communio. Quinta hære- ditatis aditio. Sexta indebiti solutio.

1103. QUÆRITUR, an nulla alia de- tur obligatio ex quasi contractu præter has sex species. Ratio dubitandi est, quia videtur Im- perator omnes enumerare voluisse, cum has sex distinctis §§. proponat, sicut quando actiones bonæ fidei in titulo de actionibus enumerat, supponitur præter illas nullas alias dari, quia in- clusio unius est exclusio alterius.

Respondendum tamen est, præter has da- ri plures alias, est ab Imperatore non fuerint enumeratæ, fortè quia noluit Iuris Tyronebus nisi frequentiores, & in foro celebriores propo- nere.

Præter has ergo huiusmodi est communio seu consensio finium, unde datur actio finium regundorum, sicut *communis dividundo* ex com- munione bonorum. Item talis est detentio rei in qua alius habet interesse, unde datur actio ad exhibendum. Item litis contestatio sive iudicium acceptum. Item emptio prædii obnoxii retracti, et alie plures, quarum aliquas in aliis locis quò spectabant tractavimus, alias aliò re- servamus, ceteras hoc loco.

## CONTROVERSIA II.

### De Obligationibus quæ ex negotiis gestis oriuntur.

DE hoc extat titulus 1. lib. 3. Digestorum. & 19. lib. 2. Codicis. & in Institutionibus §. 1. tit. de obligationibus quæ ex quasi contr:

### §. I.

#### Explicatur ejus definitio & Natura.

#### SUMMARIUM.

Definitio Negotiorum Gestionis. 1104.  
Fundatur in præsumpta voluntate. eod.  
An supponat ignorantiam gestionis in eo cuius negoti- um geritur. 1105.

Solvuntur argumenta contraria. eod.

Quanam actio competat ex superveniente ratihabitio- ne. 1106.

An possit negotium geri ex necessitate cogente. 1107.

Refruntur varii casus. eod.

An debeat negotiorum gestor habere opinionem, se al- terius negotia gerere, & animum sibi eum obli- gandi. 1108.

An si erratum in persona, censetur contractum cum existimatio. 1109.

1104. **N**egotiorum Gestio est Quasi Contractus, quo quis alterius negotium ad rem fa- miliarem pertinens, sine mandato gerendum sus- cepit. Ità Hunnius. quæ definitio mihi magis placet, quam aliorum, qui definitioni inse- runt: *absentis, & utiliter*. Nam in progressu con- stabit, posse etiam præsentis, sed ignorantis, ne- gotium geri, deinde, ut nascatur directa actio negotiorum gestorum, non est necesse, ut uti- liter gesserit, nam & qui inutiliter gessit, veni- ri potest.

Fundatur autem hic Quasi Contractus in præsumpta voluntate, quam quisvis prudens sal- tem habitualiter et interpretativè (ut loquuntur Theologi) habet, aut certè habere deberet, ut velit esse obligatus illi, qui sua negotia etiam absque mandato utiliter gerenda suscipit, quan- do ipse sive per absentiam sive per ignorantiam est impeditus, quominus vel per se vel per alium egerere possit, ne alioquin, si nemo ea gereret, rei familiaris jacturam faceret. Vt ergo Cives allicerentur ad huiusmodi curam alieno- rum negotiorum, iura hunc Quasi Contractum actionibus firmaverunt: quis enim alioquin se rebus alienis cum periculo propriæ jacturæ im- misceret? præsertim cum stante hoc legum sub- sidio tam pauci sint, qui fideliter absentium ne- gotia gerere velint, ut conqueritur Ant. Perez in hunc titulum Codicis n. fin. dicens, plures esse qui animo potius deprædandi quam admini- strandi ad gestionem accedunt.

Objici solet contra illam definitionem par- ticulam: *Alterius*. Nam potest quis gerere ne- gotium hereditatis jacentis: atqui tunc nullus alterius gerit negotium: neque defuncti, neque hæredis, qui necdum est. 3. Particulam illam Iuris fictione accommodari hereditati jacenti, tanquam personæ fictæ per textum in lege 3. §. 6. ff. de negot. gestis. *Hæc verba*: sive quis negotia, quæ cuiusque cum is moritur, fuerint, gesserit: de quo sicut necessarium edicere, quoniam neque rista- toris jam defuncti, neque hæredis, qui nondum agit, negotium gessisse videtur. Itaque quandoquidam hæres postea existens fingitur retro hæres fuisse statim à tempore mortis, & hereditas ipsa fingi- tur representare defunctum, & sic evadit perso- na ficta, jam intelligitur in effectu negotium ip- sius hæredis gestum esse, imò & ipsius defun- cti.

1105. QUÆ-

1105. QUÆRITUR nunc 1. An Quasi Contractus Negotiorum gestorum necessariò supponat ignorantiam gestionis in eo cuius ne- gotium geritur. Affirmat Bacchovius in Treutl. & Georg. VVidman. Communior tamen, & Iuri conformior sententia negat, asseritque pos- se absentis & scientis negotia geri absq; eo quòd detur Mandati actio, adeoque solum negotiorum gestorum actio. Ità Treuderus, Hunnius, VVurmserus, aliique apud hunc, nisi quòd malè citet Harpprecht, qui non loquitur de sciente, sed de præsentem ignorante. Eandem videtur supponere Ant. Perez.

Probat 1. ex lege 2. ff. h. r. in qua quasi à fortiori supponitur. [Si quis absentis nego- tia gesserit, licet ignorantis, tamen quidquid uti- liter in rem ejus impenderit, habeat eo nomine actionem.] Ecce dum dicit: *licet ignorantis* indicat, quasi magis dubium esse posset de igno- rante, quam de sciente.

Respondet Bacchovius, per hæc verba indi- cari connexionem & continuationem tituli præ- cedentis de Procuratoribus. Sed hæc est admo- dum frivola responsio; nam, præterquam quòd titulus de Procuratoribus non immediatè præce- dat titulum de Negotiis gestis, cum iste sit quintus, ille verò tertius, Auctor legis secundæ, nempe Gaius non ordinavit titulos Digestorum, quia non fuit unus ex Compileratoribus. Deinde in Institutionibus §. 1. tit. civ. nulla fit talis con- nexio aut continuatio, & tamen ponitur particu- la *etiam*, quæ eandem significationem habet, ac illa *licet*. ibi. *Ex qua causa si, quorum negotia gesta fuerint, etiam ignorantes obligantur*. Itaque hæc particula sunt implicativæ, seu extensivæ.

Objicit Bacchovius legem 3. pr. ff. de O. & A. Verùm lex non loquitur de ignorante, sed de absente, absentia autem non excludit scientiam, poterat enim negotiorum gestor absentem signifi- cãsse, se ipsius negotia velle gerere ex præsumpta illius voluntate. verba sunt: *Neque enim is qui gessit, cum absente creditur ante contraxisse*. Idem respondetur ad legem 20. §. 1. ff. Mandati. sic enim habet. [Fideiussori negotiorum gestorum est actio, si pro absente fideiussit: nam mandati actio non potest competere, cum non antecesserit mandatum.]

Objicitur 2. Ad actionem mandati suffi- cit mandatum tacitum, ut suo loco dictum est. atqui mandatum tacitum habetur, quando altero sciente negotium geritur. Ergo. 3. Disting- uendum interem, quando geritur altero sciente, & non contradicente, cum contradicere pos- set; & quando hoc silentium est causa influens in voluntatem alterius, eumque movens ad agen- dum, concedo, secus nego. & hoc sibi vult Vlpianus in lege 6. §. 2. ff. mandati. [Si passus sim ali- quem pro me fidejebere, vel aliis intervenire, mandati tenentis & nisi pro invito quis interces-

Christ. Haun. de Just. Tom. IV.

ferit, aut donandi animo, aut negotium gerens, erit mandati actio.] Vnde verissimè dixit Ferd. Vasquius Illust. contr. lib. 2. c. 15. n. 6. quòd si Dominus mandatum non notum fecit per se, vel per alium, cesset mandati actio.

1106. QUÆRITUR 2. Quanam actio competat, si superveniat Ratihabitio ejus, quòd gestum est. Responderi communior solet cum distinctione. Si enim superveniat Ra- tihabitio, absolute jam negotio, conveniet actio negotiorum gestorum: si verò durante negotio, conveniet actio mandati. Antonius Perez abs- que distinctione putat utramque actionem con- currere, quia Ratihabitio mandato comparatur. Et hic ipse videtur esse sensus regulæ 60. ff. de R. l. *Sed est quis ratum habuerit, quòd gestum est, obstringitur mandati actione*.

1107. QUÆRITUR 3. An Quasi Contractus negotiorum gestorum semper debeat esse spontaneus, vel possit esse ex necessitate cogente. 3. Possit etiam esse necessarium, urgen- te necessitate, vel necessitatis suspitione. l. 3. §. 10. ff. h. r. [Hæc actio non tenetur non solum is qui spontè & nullâ necessitate cogente immis- cuit se negotiis alienis, & ea gessit, verùm, & is qui aliquâ necessitate, vel necessitatis suspitione gessit.]

In quibus autem casibus id fiat, est contro- versum, & imprimitis:

DUBITATUR, an is qui à Iudice con- stitutus est executor sententiæ huiusmodi obliga- tionem contrahat respectu victoris, in cuius favo- rem exequitur, item respectu debitoris, contra quem sententiam exequitur. Negat Faber, sed de priore est affirmandum, & negandum de se- cundo. De priore habetur lege 3. cit. §. 8. *Si executor à Pratore in negotio meo datus, dolum mihi fecerit, dabitur mihi adversus eum actio*. Qui textus cum ponatur sub rubrica de negotiis gestis: in epè Faber interpretatur, de actione de Dolo: de qua non potuisset esse dubium, si non daretur actio ordinaria. De secundo seu de victo & de- bitore accipienda est lex 30. ff. de eviction. [Si pignora veniant per apparitores Pratoris extra ordinem sententias sequentes, nemò unquam dixit, dandam in eos actionem re evicta: sed si dolo rem viliori pretio procecerunt, tunc de do- lo actio datur adversus eos Domino rei.] Cum ergo actio de dolo sit subsidiaria, supponitur, non dari actionem negotiorum gestorum. Et ratio est, quia in debitor, contra quem in vitium fit executio, non potest præsumi consensus in executionem.

Secundus casus est, quòd non quis Mandati- rius est Tutoris, & deinde vi mandati jam con- stituti debet pupilli negotia gerere, contrahit ex necessitate respectu pupilli obligationem ex quasi Contractu. l. 4. C. t. [Qui pupillæ negotia tuto- ris mandatu suscepit, pro tutore negotia non vi-

X x

actus

deur gessisse, sed negotiorum gestorum actio-  
ne pupillæ tenebitur.]

Tertius casus est, quando quis cepit spon-  
tere gerere negotia posthumi, qui tamen deinde  
non est natus, cogitur gestionem continuare: in  
quo tamen casu variare videntur leges, quæ ut  
conciliantur, dicunt Interpretes, dari quidem  
actionem utilem, sed non directam. Dari sal-  
tè utilem probatur ex lege 29. ff. h. t. [Dum pa-  
ter testamento posthumi tutorem dederit, isque  
tutela interim administraverit, nec posthumus  
natus fuerit, cum eo non tutela, sed negotiorum  
gestorum erit agendum. Quodsi natus fuerit  
posthumus, tutela erit actio, & in eam utrumque  
tempus veniet, & quo antequam nasceretur in-  
fans, & quo postquam natus est.] Quod autem  
non detur Directa actio, probatur ex lege penult.  
De tutela & rationibus distrah. [Posthumo tutor  
datus, non nato posthumo, neque tutela, quia  
nullus pupillus est, neque pro tutore, quia nulla  
significatio est, neque negotiorum gestorum ju-  
dicio tenetur, quia administrasse negotia ejus,  
quia natus non esset, non videtur.]

Quartus casus est, quando quis bonâ fide  
putat sibi incumbere tutoris officium, & illud ge-  
rit, diciturque necessitatis suspicione seu opinio-  
ne gessisse. l. i. §. 6. ff. de eo qui pro tutore. [Si  
quis quasi tutor negotia gesserit ejus, qui jam pu-  
bes est, tutela actio cessat: simili modo & si ejus  
qui nondum natus est, &c. sed erit negotiorum  
gestorum actio.] Item si homo liber arbitratu  
se servum ejus qui res quasdam mandat, & te age-  
re ut servum, quando quidem non consentit  
in contractum mandati, saltè quasi contractum  
facit. l. 6. §. 5. ff. h. t. Si quis quæ servus meus ne-  
gotium meum gesserit, cum esset vel libertus, vel inge-  
nuus, dabitur negotiorum gestorum actio.

1108. QVÆRITVR 4. An de Con-  
ceptu hujus Quasi Contractus sit, ut negotiorum  
gestor habeat opinionem, se alterius negotia ge-  
rere, animamque eum sibi obligandi. R. Af-  
firmativè. Nam in hoc consistit ille consensus  
in agente, cui præsumptus consensus responderit  
in altero. Unde si quis in domum alienam,  
quam putat esse suam, impensas necessarias fecerit;  
non gaudet actione negotiorum gestorum,  
casi quo domus evincatur, sed solum gaudet iure  
retentionis, donec expensæ solvantur, & ex-  
ceptione doli, ut alibi dictum est.

1109. QVÆRITVR 5. Si quis ges-  
sisset negotia Pauli, putans esse negotia Petri, an  
censeatur Quasi Contractus inquit cum Paulo,  
&c. Affirmativè. l. 5. §. 1. ff. h. t. [Sed & si cum  
putavi Titii negotia esse, cum essent Sempronii,  
ea gessi: solus Sempronius mihi actione nego-  
tiorum gestorum tenetur.] Ratio est, quia pri-  
maria intentio est, gerere negotia illius, & eum  
sibi obligare, cujus illud negotium est, quicumque  
ille sit. Sic etiam, qui putaret, se mandato tene-  
ri, cum non teneatur, erit negotiorum gestor,

ut habeatur eadem lege. [Item si, cum putavi, à  
te mihi mandatum, negotia gessi, & hic nascitur  
negotiorum gestorum actio, cessante mandati  
actione.]

## §. II.

De Actionibus ex hoc Quasi-Contractu  
descendentibus.

## SUMMARIUM.

Nascitur inde Actio directa & contraria. 1110.  
An contraria actioni locus sit, quandoquidem  
nullam culpam admittit negotiorum gestor, sed casu  
omnis utilitas eversa est. 1111.

Quid sit negotium revera alteri non sit gratum. 1112.  
Quid sit negotium revera alteri non geratur. 1113.  
Si unus gerentium non est solvendo, an periculum speciet  
ad alterum, vel ad heredes. 1114.

An existat Iuris præsumptiones pro vel contra nego-  
tiorum gestorem. 1115.  
Resfruntur 4. præsumptiones Iuris. eod.

1110. DICENDUM est, nasci duplicem  
actionem, Directam, & Contrariam.  
§. 1. Inst. h. t. [Igitur cum quis negotia absentes  
gesserit, ultro citroque inter eos nascuntur actio-  
nes, quæ appellantur negotiorum gestorum. Sed  
Domino quidem Rei gestæ adversum, negotia. 1113.  
Si unus gerentium non est solvendo, an periculum speciet  
ad alterum, vel ad heredes. 1114.] Idem habeatur l. 5. pr.  
ff. de Ob. & AG.

Directa actione petitur ut negotiorum ge-  
store, ut administrationis sue rationem reddat, &  
si quid forte ad eum pervenit, ex æquo, & bono  
præset, & si quod damnatum ex ipsius negligentia,  
culpa, dolo datum est, resarciat, Quo sensu di-  
xi supra dari hanc actionem etiam quando ipsius  
administratio non fuit utilis, & expediens.

Contraria actione petitur Negotiorum ge-  
stor, ut ratione negotii utiliter gessi (quantum in le-  
ge 2. ff. h. t. [Et sanè sicut æquum est, ipsum actus  
sui rationem reddere, & eo nomine condemnari,  
quidquid vel non ut oportuit, gessit, vel ex his  
negotii retinet, ita ex diverso justum est, si uti-  
liter gessit, præstari ei, quidquid eo nomine vel  
abest ei, vel abfuturum est.]

1111. QVÆRITVR 1. An contraria  
actioni locus sit, quando quidem nullam culpam  
aut negligentiam admittit negotii gestor, sed casu  
fortuito omnis utilitas eversa est. R. Affirma-  
tivè. l. 10. §. 1. ff. h. t. [Is autem qui negotiorum  
gestorum agit, non solum si effectum habuit nego-  
tium, quod gessit, actione ista uteretur, sed suf-  
ficere, si utiliter gessit, et si effectum non habuit ne-  
gotium: & ideo si Insulam sulset, vel servum  
ægrum

ægrum curavit, etiam si Insula exusta est, vel ser-  
vus obiit, ager negotiorum gestorum.] Excipi-  
tur tamen pupillus, qui non potest conveniri,  
nisi in quantum ex negotiorum gestione locu-  
pletior factus est. l. 2. C. h. t. [Contra impubes  
quoque, si negotia eorum urgentibus necessita-  
tis rationibus utiliter gerantur, in quantum lo-  
cupletiores facti sunt, dandam actionem, ex uti-  
litate illorum receptum est.]

1112. QVÆRITVR 2. Si quis tale ne-  
gotium gerit, quod quidem putat fore gratum al-  
teri, sed in rei veritate non est gratum, quia alter  
hoc non desiderat, sed mavult rem non curari,  
v. g. habet Insulam, quam vult esse derelictam,  
nec falcari, an si talis bonâ fide sulciat, habeat  
actionem, quæ expensas repetere possit. Respon-  
detur in eadem lege & §. negativè, in fine. [Ego  
quero (inquit Nipianus) quid sit putavit, se utili-  
ter facere, sed patrifamilias non expediebat? di-  
co hunc non habiturum negotiorum gestorum  
actionem: ut enim effectum non spectamus, de-  
bet utiliter esse coepum.] Ratio est, quia deest  
alterius consensus etiam præsumptus, seu inter-  
pretativus, hoc est, si fuisset interrogatus, positi-  
vè recusasset. Censeo tamen, quod illi incum-  
bat onus probandi talem animum.

1113. QVÆRITVR 3. An directæ actio-  
ni locus sit, quando negotiorum gestor unum  
quidem negotium cum omnibus ad id spectanti-  
bus absolvit, sed alia ejusdem non gerit, an ad  
hæc gerenda cogi possit. Ratio dubitandi & as-  
serendi esse possit, quia tutor v. g. tenetur omnia  
negotia pupilli gerere, si semel cepit tutelam ad-  
ministrare. Nihilominus negativè responden-  
dum est per legem 20. C. h. t. [Tutori vel Cura-  
tori similis non habetur, qui citra mandatum nego-  
tiorum alienum spontè gerit, quippe superiori-  
bus quidem necessitas muneris administrationis  
finem, huic autem propria voluntas facit, ac satis,  
abundeque sufficit, si cui, vel in paucis amici la-  
bore consulatur.] Verum, hoc est intelligen-  
dum, per se loquendo. Nam per accidens fieri  
potest, ut etiam ad alia obligetur, si unum aggres-  
sus est, nempe si alius fuisset suscepimus etiam  
alia negotia, sed quia vidit, hunc unum aggres-  
sum, abstinuit, & hoc negotiorum gestor consti-  
bat. l. 6. §. 12. ff. h. t. [Videamus in persona ejus  
qui negotia administrat, si quædam gessit, quæ-  
dam non, contemplatione tamen ejus alius ad  
hæc non accessit, & si vir diligens, quod ab eo  
exigitur, etiam ea gesturus fuit: an dici debeat,  
negotiorum gestorem eum teneri etiam propter  
ea que non gessit? quod puto verius.]

1114. QVÆRITVR 4. Si plures ali-  
cuius negotium gesserunt, v. g. bona hereditaria  
secundum diversitas singuli partes administrantur:  
deinde unum illorum non est solvendo, an peri-  
culum spectat ad alterum gestorem, vel ad herede-  
dem. R. Spectat ad heredem. Ità resolvitur

Christ. Ham. de Inst. Tom. IV.

in casu legis 26. ff. h. t. ibi. [Quæro, si Sempro-  
nius (hæres) non veniet actores horum bonorum,  
periculum inopis defuncti ad quos pertinet: He-  
rennius Modestinus respondit: quod ab uno ex  
actoribus ob ea quæ solus gessit negotiorum ge-  
storum actione servari non potest, ad damnum  
ejus, cui legitima hæreditas quaesita est, perti-  
neat.]

1115. QVÆRITVR 5. An existat  
aliquæ Iuris præsumptiones contra vel pro qui-  
busdam personis, quod noluerint, vel voluerint  
sibi actione contracti tenei illos, quorum negotia  
gesserunt. R. Existat hujusmodi præsum-  
ptiones circa personas specialiter conjunctas.

Imprimis talis præsumptio existat adversus  
vitricum, nisi contrarium protulerit sit, in lege  
15. C. h. t. [Si paterno affectu privignus tuas alui-  
sti, seu mercedis pro his aliquas Magistris expen-  
disti, ejus erogationis tibi nulla repetitio est.  
Quod si ut repetiturus ea que in lumpem misisti,  
aliquid erogasti, negotiorum gestorum tibi in-  
tentanda est actio.] Eliditur tamen hæc præ-  
sumptio contraria præsumptione Iuris, si vitricus  
bona privigni administravit, vel in rationes im-  
tulit. arg. legis 34. ff. h. t. ubi hoc de avia dicitur.  
ibi. At in proposito aviam, que negotia admi-  
nistrabat, verisimile esse de re ipsius nepotis eum alui-  
se, & infra. [Igitur in re facti facilius putabo  
aviam vel heredes ejus audiendos, si reputare ve-  
lin: alimenta: maxime si etiam in rationem expen-  
sarum ea retulisset aviam apparebit.] Quod  
ipsum tamen iterum merito à DD. limitatur, nisi  
privignus operas quotidianas præstitisset.

Secundò, existat hujusmodi præsumptio ad-  
versus maritum in lege 13. C. h. t. [Quod in uxore  
tuam ægiam erogasti, non à Socero repetere,  
sed affectioni tuæ debes expendere. In funus  
sanè ejus, si quid eo nomine quasi recepturas  
erogasti, patrem ad quem dos rediit, iure conven-  
nis.]

Tertiò, existat præsumptio in favorem fra-  
tris in lege 16. C. eod. [Si negotium fororis tuæ  
gerens pro ea tributa solvisti, vel mandante eâ,  
vel rogante fecisti, negotiorum gestorum actio-  
ne, vel mandati repetere poteris.] Item in lege  
3. C. eod. [Sive pro fratre Cohæredæ pecuniam  
solvisti, negotiorum gestorum actione experiri  
potes: sive pignoris liberandi gratiâ debitum  
universum solvere coactus es, actionem eandem  
habebis.]

Quartò, existat præsumptio in lege 12. C. h. t.  
[Si filius pro patre suo debitum solverit, nullam  
actionem ob eam solutionem habet, sive in po-  
testate patris, cum solveret, fuerit, sive sui juris  
constitutus, si NB. donandi animo pecuniam  
dedit. Si igitur Pater tuus sui juris constitutus  
pro patre suo negotia gerens, non præcedente  
mandato debitum ejus solvit, negotiorum ges-  
torum agere cum patris tuis potest.] Ex qua lege  
infert Huanius, in dubio præsumptionem esse  
pro

pro filio contra patrem, quod impense non sint donandi animo facte: quia probandum est patris, quod donandi animo fecerit: ergo si non probetur, erit contraria presumptio. Contra-rium presumentum esse tradit Bartolus & Surdus relati à Treutlero, sed levi fundamento, nempe quod Correlati eorum eadem debeat esse natura, & consuetudo: hoc tamen in nostro casu non procedit, quia est diversa ratio horum correlativorum, non enim pari necessitate astringuntur filii parentibus, quâ parentes filiis, præsertim quando jam existant nepotes, ut in casu sit.

## §. III.

Ex qua culpa teneatur negotiorum gestor.

## SUMMARIUM.

**V**erius sententia distinguit, an fuerit alius qui gestisset. 1116.  
Regulariter casus fortuitus ad negotii dominum spectat. eod.  
Excipiuntur sex casus. 1117.  
Quid per insolita negotia intelligatur. 1118.  
Causas gerere tamquam de dolo teneatur. eod.

1116. **I**n hac questione gravissimè dissentiunt Interpretes.  
Prima & valde communis est sententia, quod non teneatur de levisissima, sed tamen teneatur de lata & levi.

Secunda opinio est, quod regulariter teneatur de culpa levisissima. Vtrinque sententia AA. refertur ad longum Harpprecht, qui hanc secundam sequitur.

Tertia sententia mediâ viam ingreditur, & æquitatem magis assequitur, mihi que magis placet. Itaque distinguendum est. Vel negotia alterius ita erant delecta, ut præter me nemo alius fuisset illa gesturus, & hoc casu tenebor solam de culpa lata. Vel fuit alius, qui gesturus fuisset, & iterum distinguendum est. Si enim is alius fuisset summam diligentiam adhibitorus, tunc tenebor & ego ad summam diligentiam, si negotia gerenda suscepi illo excluso, adeoque tenebor de culpa levisissima. Si verò ille alius non fuisset futurus diligentissimus, tenebor solam de culpa levi. Itâ P. Molina, & ex Iuristis Ant. Perez, & Georg. VVidman, nec reipsâ dissentit VVurmserus tit. 28. c. 1. Et ita etiam leges interpretatur glossa in lege 11. ff. h. 1. eandem expressè tenet Collegium Argentoratense. à n. 25.

Prima pars Conclusionis probatur ex lege 3. §. 2. ff. h. 1. [Interdum in negotiorum gestorum actione Labeo scribit, dolum solummodo verari. Nam si affectione coactus ne bona mea distrabantur, negotiis te meis obruleris, æquissimum esse, dolum duntaxat te præstare, quæ sen-

tentia habet æquitatem.] In qua lege sub Dolo venit etiam lam culpa, quæ dolo æquiparatur in Civilibus non irrogantibus in famam. Deinde ad vertendum est, quod Labeonis sententia dicatur æquitati conformis. & merito nam in casu, quo alterius negotia penitus derelicta sunt, nisi ego suscipiam, sanè merebor gratiarum actionem, si absque dolo & negligentia illi curem, eamque saltem diligentiam adhibeam, quæ latam culpam excludam, quando quidem nullo iure teneor negotiorum suscipere, nec in eo gerendo meum interesse verisatur.

Secunda pars conclusionis probatur, in primis ex §. 1. Inst. tit. cit. prope finem. [Quo casu ad exactissimam qui que diligentiam compellitur reddere rationem: nec sufficit talem diligentiam adhibere, qualem suis rebus adhibere solet, si modò NB. alius diligentior eo commodius administraturus esset negotia.]

Tertia pars conclusionis probatur ex Regula Iuris 23. ubi inter illos contractus qui culpam leviem præstant, etiam negotiorum gestio referretur. Et quidem regulariter loquendo solum de culpa levi teneri, supponitur in lege 20. C. h. 1. ibi. [Secundum quæ super his quidem, quæ nec tutor nec curator constituitur ultra quis administravit, cum non tantum dolum & latam culpam, sed & levem præstare necesse habeat.] adde legem 11. ff. h. 1. Si negotia abentis & ignorantis geras, & culpam & dolum præstare debes. Ratio est, quia nisi contractum probetur, regulariter præsumi potest, futurum fuisse alium amicum, qui latam communem diligentiam illis dem negotiis exhibuisset. Sanè, quia negotiorum gestori communiter non potest constare, an non esset futurus alius, qui communem diligentiam adhiberet, adeoque ipse primus se offert, & quantum in se est, alios prævertit, censetur se velle obligare ad levem culpam præstandam.

Obijci possit lex 24. C. de Iuris. [Si mater tua major annis constituta, negotia quæ ad te pertinent, gesserit, cum omnem diligentiam præstare debeat, usuras pecunie tuæ quam administrasse fuerit comprobata, præstare compelli potest.] Ergo requiritur omnis diligentia, adeoque exactissima. 22. In hac lege per omnem diligentiam intelligi illam, quæ ex natura rei & negotii exigitur, ita ut si non exhiberetur, negligentia potius argueretur, qualem committeret, qui administrans pecunias eas otiosas telinqueret.

Ex dictis à fortiori constat, regulariter loquendo casum fortuitum & damnnum ex eo secutum, non ad negotiorum gestorem, sed ad negotii dominum spectare. Quamvis aliquando contrarium dicendum sit, & habetur exceptio in lege 11. ff. h. 1. ibi. [Veluti si novum negotium, quod non sit solitus abens facere, tu nomine ejus geras: veluti venales novitios coemendo, vel aliquam negotiationem incedo: nam si quod dam-

## CONTROVERSIA III.

De Quasi Contractu inter Tutorem & Pupillum ratione administrate Tutelæ.

damnum ex ea re secutum fuerit, te sequetur, lucrum verò absentem: quodsi in quibusdam lucrum factum fuerit, in quibusdam damnnum, absens pensare lucrum cum damno debet.]

1117. Cæterum, glossa in hanc legem recenset sex casus, in quibus ad negotiorum gestorem spectat casus fortuitus. 1. Si gessit negotia pupilli loco alterius, tunc enim respectu pupilli casus fortuitus ad gestorem spectat, per legem 6. ff. h. 1. [Si pupilli tui negotia gesseris, non mandatu tuo, sed ne tutelæ iudicio tenearis, negotiorum gestorem te habeo obligatum, sed & pupillum, modò si locupletior fueris factus.] unde subsumitur: atqui per infortunium pupillus non fit locupletior: ergo non ad pupillum spectat. 2. Si accessit animo de prædandi, lege cit. §. 3. [Sed & si quis negotia mea gessit, non mei contemplatione, sed sui lucri causa, &c. non in id quod ei abest, quia improber ad negotia mea accessit, sed in id quod ego locupletior factus sum, habet contra me actionem.] Si ad nova & insolita negotia accesserit, ut in lege 11. jam recitata. 4. Si casum in se specialiter recepit, ut supponitur in lege 22. C. h. 1. [Negotiorum gerentes alienum, non interveniente pacto speciali, casum fortuitum præstare non compelluntur.] 5. Si culpa præcessit, unde casus secutus est; l. 22. ff. h. 1. ibi. [Sed ita felicitate hoc dici potest, si ipsa ruina vel incendium sine vitio ejus acciderit; nam cum propter ipsam ruinam aut incendium damnandus sit, absurdum est, eum istarum rerum nomine, quæ ita consumptæ sunt, quidquam consequi.] 6. Si fuit in mora solvendi, & inde casus fortuitus secutus est. l. 83. ff. h. 1. ibi. [Iulianus scribit, in eo verti questionem, ut animadvertamus, an justam causam habuerim sependendorum centum: nam si deducim solvere, periculum me præstatum.]

1118. Circa tertium casum quæritur, quid per insolita negotia intelligatur. 22. Intelligi illa negotia, quæ non fuisset curaturus ille cuius negotium geritur. v. g. ille non emisit mancipia, aut equos: unde si quis loco alterius non emperit, etiam si præsens esset, emisisset, & hæc casu fortuito perirent, damnnum esset emptoris.

Specialiter de dolo tantum tenetur si qui à Prætorè jussum negotiorum alterius gessit in executione. l. 3. §. 8. ff. h. 1. quem §. jam supra attuli.



**T**utelæ ipsa seu officium & Ius quod habet Tutor, neque est Contractus, neque quasi Contractus, quia est Vis seu Potestas, ut definita est to. 1. tra. 4. c. 4. ubi de Tutelæ ex professo actum est. Hoc ergo loco nihil superaddendum alicuius momenti occurrit. Itaque ipsa administratio est Quasi contractus, de quo est §. 2. 7. De oblig. quæquæsi. De actionibus ergo tam pupillo adversus tutorem, quam tutori adversus pupillum, actum est loco citato Contr. 8. De culpa levi, non item levisissima à Tutore præstanda, ibid. dictum est contr. §. 7. ad quæ loca lectionem remitto.

## CONTROVERSIA IV.

De Quasi Contractu ex Rerum singulariarum communiione.

## SUMMARIUM.

Quamvis incidentem in communionem rerum singulariarum. 1119.  
Alia Communi dividendo. 1120.  
An detur etiam alteri non incidentem in communionem. 1121.  
Si consorti alter suam partem obligavit, an possit agere ad divisionem. 1122.  
Si consorti suam partem creditor obligavit, & irradidit, contra quem est alteri ad divisionem agendum. 1123.

1119. **D**e hac Imperator §. 3. sic loquitur. [Item si inter aliquos communis res sit sine societate, veluti quod præter eis legata, donativa esset, & alter eorum alteri ideo teneatur comuni dividendo iudicio, quod solus fructus ex ea re perceperit, aut quod focus ejus solus in eam rem necessarias impensas fecerit, non intelligitur ex contractu proprio obligatus esse, quippe nihil inter se contraxerunt, sed quia ex maleficio non tenetur, quasi ex contractu teneri videtur.]

Itaque ex rerum communiione illi qui præter consensum, qui aliquo ad contrahendam societatem requiritur, in huiusmodi communiione rerum singulariarum incidentem, obligantur ex quasi contractu ad res communes sibi invicem præstandas.

1120. Ex hoc Quasi Contractu nascitur actio, quæ dicitur: Communi dividendo, quam di-

xi to. 1. tract. 2. cap. 1. contr. 2. §. 7. esse actionem mixtam, hoc est personalem in rem scriptam. Hæc porro actio convenit æqualiter illis, inter quos est quæ contractus, quia nulla est disparitas inter illos, ob quam uni conveniat directa, & alteri contraria, ut videre licet per totum titulum Digelorum communi dividundo.

Tendit hæc actio ad divisionem rei communis, ad præstationem fructuum perceptorum, impensarum, & ejus quod dolo vel culpa lata aut levi in re communi commisit, l. 3. ff. h. t. [In communi dividundo iudicio nihil pervenit ultra divisionem rerum ipsarum, quæ communes sint, & si quæ in his damni datum factumve est, si ve quod ex omni aut ab eorum alicui fortiorum, aut ad eum pertinet ex re communi.]

De differentiis huius actionis ab actione Familie Ericiscundæ, melius dicitur Contro. sequente. Nunc

1121. QUÆRITUR 1. Vtrum hæc actio nulli alicui detur, quam qui in rei veritate est socius, & incidens in communionem. 2. datur etiam illi, qui putat se esse socium cum tamen non amplius sit, sed alius illi successit, non quidem ut tendat ad rei divisionem, sed ad sumptuum & damnorum divisionem. l. 6. pr. ff. h. t. [Si quis putans sibi cum Titio fundum communem esse, fructus percepit, vel sumptum fecerit, cum esset cum alio communis, agi poterit ut li communi dividundo iudicio.] Cujus legis hunc sensum ponit glossa. Habebam rem communem cum Titio patre, & credebam eam habere communem cum Cajo filio; unde fructus percepi, vel sumptus feci, possum agere cum Titio patre cum quo res est communis, qui alienavit partem suam, & sic à communionem discessit. Et ita habetur §. 1. [Quare et si Fundum Titius alienaverit, licet hic communi dividundo locus non sit, quia à communionem discessum est, utili tamen locum futurum, quod datur de præfationibus, quoties communitas esse desit.] Deinde etiam datur bonæ fidei possessori l. 7. §. 2. ff. h. t. Qui in veris publicianam habuit, etiam communi dividundo possunt iudicium exercere.

1122. QUÆRITUR 2. Si consors consorti suam partem oppignorat, an possit agere ad divisionem? 3. Non posse, durante obligatione pignoris, & creditore relicto. l. 6. §. 9. ff. eod. [Idem Iulianus scribit, si is, cum quo servum communem habet, am, partem suam mihi pignori dederit, & communi dividundo agere ceperit, pignoratitia exceptione submoveri debere: sed si exceptioe usus non fuerit, officium iudicis erit, ut cum debitori totum hominem adjudicaverit, partis æstimatione eum condemnet, manere enim integram jus pignoris. Quod si adjudicaverit mihi: tunc duntaxat me condemnet, quanto plures pignus sit, quam pecunia tradita, & debitorem jubeat à me liberari.]

1123. QUÆRITUR 3. Si consors suam partem creditori oppignorat, qui possidet, contra quem ad divisionem agendum sit. Respondet post Fabrum Schneidevein, posse contra utrumque agi. Et quidem contra creditorem possessorem per leg. 7. §. 13. ff. eod. ubi socius provocat ad divisionem creditorem, cui alter socius suam partem obligavit. ibi: & à domino alterius partis provocatus creditore ejus. Quod autem etiam contra consortem possit agi, supponitur in leg. 6. §. 8. [Si fundus communis nobis sit, sed pignori datus à me, venit quidem in communi dividundo; sed jus pignoris creditori manebit, &c.]

### CONTROVERSIA V.

#### De Quasi Contractu ex Hereditatis communione.

#### SUMMARY M.

IN quibus conveniat actio Familie Ericiscundæ cum actione communi dividundo. 1124.

Quibusnam hæc actio competat. 1125.

An hæc actio detur contra quemcumque possessorem eod.

An exceptio Præpotationis semper competat illi, qui negat actorem esse heredem.

An hæc actio etiam debita hereditaria sint dividenda. 1127.

An præscribatur viginti annis. 1128.

Quomodo intelligendum, quod nemo in visus teneatur in communionem manere. 1129.

Solvuntur argumenta contraria. eod.

An ipso facto à communionem aliquando recedatur. 1130.

An provocans ad iudicium divisorium hoc ipso fateatur alterum cohæredem. 1131.

1124. Hæc quasi contractus est similis priori, unde & Iustinianus ait §. 4. [Idem iuris est de eo, qui cohæredi familie Ericiscundæ iudicio ex his causis obligatus est.] Hoc ergo Quasicontractu duo pluresve ejusdem defuncti hæredes sibi invicem ad divisionem hereditatis & præstationes personales obligantur, & inde datur actio Familie Ericiscundæ, hoc est, rerum hereditarium dividendarum.

Conveniant ergo hæc actio & actio communi dividundo in plurimis, quæ ex dictis constant: & insuper in modo divisionis faciendæ. Quando enim res commode non possunt realiter dividi, tunc Iudex ex officio poterit uni eas adjudicare, gravando simul, ut solvat pecuniam alteri, ut habetur lege 3. C. communi dividendo. Adhibetur autem licitatio, ita ut res adjudicetur illi, qui consorti plus pecunie offert: quod si æquale

æquale offerunt, res committitur sorti, nisi unus plus in re iuris habere.

Differunt autem hæc actiones. 1. Actio Familie Ericiscundæ est universalis, hoc est, competens pro rerum universitate: communi dividundo est de rebus particularibus. 2. Actio familiaris, regulariter tantum semel intentari potest; communi dividundo sæpius. & quidem si in priora alicujus divisio prætermissa est, dividitur per secundam, h. e. communi dividundo. l. 20. §. 4. ff. h. t. [Familie Ericiscundæ iudicium amplius quam semel agi non potest, nisi causa cognita: quod si quædam indivisa relicta sunt, communi dividundo de his agi potest.]

1125. QUÆRITUR 1. Quibusnam hæc actio competat. 2. Directa competit solis hæredibus iure civili talibus, sive ex testamento, sive ab intestato. Debet tamen prius in hoc convenire, quod omnes sint hæredes, alioquin erit præjudicialiter cognoscendum, an sit hæres ille, quem cæteri negant esse, & qui non possidet. l. 1. §. 1. ff. h. t. [Quæ quidem actio nihilominus ei quoque ipso iure competit, qui suam partem non possidet; sed si is qui possidet, neget eum sibi cohæredem esse, potest eum excludere per hæc exceptionem: si in eare, quæ de agitur, præiudicium non fiat. Quod si possidet eam partem, licet negat esse cohæres, non nocet talis exceptio: quo fit, ut eo casu ipse Iudex, apud quem hoc iudicium agitur, cognoscat, an cohæres sit: nisi eam cohæres sit, neque adjudicari quidquam ei oportet, neque adversarius ei condemnandus est.] Eadem directa, & non tantum utilis datur bonorum possessoribus iure prætorio, & Fideicommissariis. l. 24. §. 1. ff. h. t. [Familie Ericiscundæ iudicium & inter bonorum possessores, & inter eum cui restituta est hereditas ex Treb. Scro, & cæteros honoratos successores locum habet.] Arrogato sine causa emancipato datur pro consequenda quarta utilis actio. l. 2. §. 1. ff. h. t. Ex quo etiam colligitur, bonorum possessori competere directam. [Si quarta ad aliquem ex constitutione D. Pij arrogatum deferatur, quia hic neque hæres, neque bonorum possessor sit, utile erit familie Ericiscundæ iudicium necessarium.] Ex qua lege videtur inferendum, fideicommissario, qui proprie hæres non est, solum utilium actionem accommodari. quod ipsum etiam de bonorum possessore multi affirmant, sed hæc est lis parvi momenti.

1126. QUÆRITUR 2. An hæc actio detur adversus quemcumque possessorem. Ratio dubitandi est, quia est actio mixta, & in rem scripta. Respondendum tamen est negative, adeoque inter solos cohæredes locum habere, etiam quando non possident. l. 25. §. 2. eod. Quantum vero ad accipiendum familie Ericiscundæ iudicium nihil interit, possidet quis hereditatem nec ne.

1127. QUÆRITUR 3. An Exceptio Præpotationis semper competat illi, qui ne-

gat actorem esse heredem, hoc est, an illum repellere possit, excipiendo, quod antequam fiat divisio, debeat docere se esse heredem. 2. Tunc solum habere locum, quando actor non possidet: nam si possidet, est locus actioni, ut habetur l. 1. §. 1. ff. h. t. quem textum paulo superius adduxi. Unde infert Schneidevein, quod ab actore non possidente possit in eodem libello petitio hereditatis cum actione fam. Ericisc. cumulari, petendo ut declaretur hæres, & deinde fiat divisio.

1127. QUÆRITUR 4. An hæc actio etiam debita hereditaria sint dividenda. Ad hoc respondetur in lege 2. §. 5. ff. h. t. [In hoc iudicio et si nomina non veniunt (nempe ob incommodiorem dividendi) tamen si stipulationes interpositæ fuerunt de divisione eorum, ut fitur ei, & ut alter alteri mandet actiones, procuratoremque eum in suam rem faciat, stabiat divisioni. & lege seq. Planè ad officium Iudicis nonnunquam pertinet, ut debita & credita singulis pro solido aliis alia attribuat: quia sæpe & solutio & exactio partium non minima incommoda habet.]

1128. QUÆRITUR 5. An hæc actio fideiularia, præscribitur 30. annis. Communis sententia RR. est, non præscribi, nisi vel numerentur 30. anni à tempore, quo semel voluerunt à communionem discedere, vel, si tantum unus possideat. Hæc exceptiones addunt, ut declinet textum clarissimum, qui est in l. 1. §. 1. C. de anali exceptione, ubi expresse dicitur, nullam actionem, ne quidem familie Ericiscundæ ultra 30. annorum spatium durare. Mihi tamen videtur esse divinatoria, quod lex hæc sit hoc modo intelligenda, & ideo magis assensio simpliciter affirmantibus, quibus accedit etiam Hunnius in Treutl. d. 20. vol. 1. th. 8. Probatur autem efficaciter ex textu citato & mox referendo, ad quem respondent quidem adversarii, eum esse intelligendum à tempore, quo voluerunt à communionem discedere. Miror tamen quod non advertent, in hoc casu requiri 30. annos. Audiamus ipsam legem. §. 1. ibi. [Iubemus omnes personales actiones, quas verba quorundam interpretatio (prout in præfati planè faciunt adversarii, ut videbimus, nam nullam legem pro se afferre possunt) extendere extra metas triginta annorum conabatur, triginta annorum spatium concludi, &c. Solà hypothecharia actione quadraginta annorum utente periculis. Nemo itaque audeat NB. neque actionis familie Ericiscundæ, neque communi dividundo, neque finium regendorum, neque pro socio, neque furti, neque vi bonorum raptorum, neque aliterius cuiuscunque personalis actionis vitam longiorem esse 30. annis, interpretari: sed ex quo ab initio competit, & semel nata est, & non retractis fabulis sæpius recreata, post memoratum tempus finiri, exceptis omnibus actionibus quæ in iudicium

judicium deduxerunt, & cognitionalia acceptis certamina, & postea silentio traditae sunt: quibus non 30. sed 40. annos esse expectandos.]

Respondent aduersarii, hanc actionem tunc primum nasci, quando consortes volunt à communione discedere. Mihi tamen hac responsio non placet: tunc enim actio nascitur, quando positum est fundamentum illius: atqui fundamentum adzquatam hujus actionis est incidentia in communione; ergo hac posita, antecedenter ad omnem aliam voluntatem recedendi à communione, jam est nata actio: sicut quando mihi furtum factum est, nascitur actio furti, nec esse necesse, ut prius eliciam actum, quo petam à fure extrajudicialiter, mihi rem restitui. Ratio est, quia non ideo competi mihi actio familiaris eriscundae, quia volo recedere à communione, sed potius ideo rectè volo, & possum velle recedere, quia mihi conceditur hac actio. Itaque potius lus agendi praeponitur ad voluntatem recedendi, ut hac voluntas sit legitima & efficax.

1129. Obijciunt aduersarii 1. Illud vulgare: Nemo cogitur inuitus in communione manere. *l. fin. C. communi divid.* Sed hac obiectio nimium probat; nempe quod hac actio non praescriberetur etiam tunc, postquam consortes voluerunt discedere. Item probaret, quod nec actio pro socio praescriberetur. Intelligendum id ergo est, seclusa negligentia in petenda divisione. Deinde illa regula communiter explicatur, quod privato pacto non possint sibi praedjudicare.

Obijciunt 2. Quando cessat finis praescriptionis, cessat beneficium praescriptionis: atqui finis praescriptionis cessare, si posset illa actio praescribi. Ergo. Minorem probant. Finis praescriptionis est, ut sit finis litium: atqui si non licet recedere à communione, non est finis litium, nam communio est occasio discordiarum. ergo. Hanc rationem vocat Schneidewein *Primum*. Ego dico esse elumbem. quia iterum nimium probat, ob instantias allatas. Non ergo ad malitiosas rixas impediendas, sed ad minuendas lites, quae, seclusa praescriptione, optimo iure moueri possent, inventa est praescriptio.

Obijciunt 3. Contra possidentem non currit praescriptio: atqui consortes possident hereditatem, ut ponunt aduersarii. Ex hoc argumento rectè inferri, quod dominium rerum possessorum non possit praescribi, sed non probat, quod non possit praescribi actio seu lus agendi, & hoc iterum patet ex instantiis allatis.

1130. QUÆRITUR 6. Si heredes facti ipso bona aliquo modo quoad possessionem diuiserunt, ita ut unus hac, alius alia possideret, & hoc per longum tempus, inter praesentes per 10. annos, inter absentes per 20. & quilibet fructus solus in sua possessione percepit, si de divisione aliud non conset, an praesumatur facta

divisio, & à communione recessum fuisse. Affirmat Baldus & cum eo Schneidewein. Sed legem nullam adducunt, solâ glossâ contenti, in legem 4. C. communi dividendo. quæ tamen lex hoc non habet. Nihilominus vera est resolutio, conformis illi, quod dictum est de contrahenda tacite, & ipso facto Societate.

1131. QUÆRITUR 7. An ille, qui prior ad iudicium divisorium provocat, hoc ipso fateatur alterum cohæredem esse: vel an postea, mutata sententiâ recurrere ad Petitionem hæreditatis. Affirmandum videtur fateri cohæredem. Nam de essentia hujus actionis est, ut detur contra cohæredem. Ergo qui pretendit hanc actionem, hoc ipso supponit alterum esse cohæredem. Verum, huic responsioni resistit lex 37. ff. h. t. *Qui familia eriscundæ iudicio agit, non confitetur aduersarium sibi esse cohæredem.* Ad hanc tamen legem respondet Hunnius, textum esse corruptum, & affirmativè legendum, prout Pandectis Florentinis habetur. Quæ lectio strenuenda est (quamvis alia exemplaria negativè legant) ne sit aequitati contraria, videtur intelligenda cum glossâ; si in opinione persistat usque ad sententiam, & sententiæ paruit. Et hoc videtur contineri in lege præcedente 36. [Cum putarem, te cohæredem meum esse, id quæ verum non esset, ego tecum familia eriscundæ iudicio, & à iudice invicem adjudicationes, & condemnationes factæ sunt. Quæro, rei veritate cognita, utrum conditio in vicem competat, aut vindicatio, & an aliud in eo qui hæres est, & aliud in eo qui hæres non sit, dicendum est? Respondi. Qui ex assu hæres erat, si, cum putaret se Titium cohæredem habere, accepit cum eo familia eriscundæ iudicium, & condemnationibus factis solverit pecuniam, quoniam NB. ex causa iudicati solvit, repetere non potest. Sed tu videris eo moveri, quod non est iudicium familia eriscundæ, nisi inter cohæredes acceptum, sed quamvis NB. non sit iudicium, tamen sufficit ad impediendam repetitionem, quod quis putat condemnatum.] Ex qua lege constat, quod non detur repetitio soluti iura fore externo. cum quo bene stat, quod ille qui hæres non erat, teneatur in conscientia restituere quod titulo hæredis putatitii accepit, quia reverâ lus nullum habuit accipiendi. Imò si condemnatus actor esset heremorennis, beneficium restitutionis possit rei vindicatione uti.



CON-

## CONTROVERSIA VI.

## De Quasi Contractu ex confusione finium, seu terminorum.

## SUMMARIUM.

AN actio finium regundorum sit stricti iuris.

1133. An locum habeat etiam in finibus prædiorum urbanorum. 1134.

An soli Domino directo detur hæc actio. 1135.

Ad quam hæc actio se extendat. 1136.

An in hac actione veniat etiam interesse illius, cuius minorum confusio damno fuit cum lucro alterius. 1137.

Quomodo se Index in Finali iudicio gerere debeat. 1138.

An illa pars fundi, quæ ob incommoditatem divisionis uni adjudicatur, fiat illius, absque alia traditione. 1139.

1132. Est ille Quasi Contractus prioribus valde similis, & ideo etiam tam in Digestis quam in Codice illis adiungitur.

Quando igitur termini agrorum sunt confusi, ita ut discerni non possint, quousque se termini singulorum agrorum extendant, datur Dominis agrorum actio finium regundorum.

Porrò, quia uterque litigantium est Actor, & Reus, ideo cuius incumbit probare fines per vetera documenta, v. g. sepes, fossas, terminos, seu signa posita in postrema venditione. Lis hæc vocatur in Iure *Questio Finalis*.

1133. QUÆRITUR 1. An sit Stricti iuris. Affirmativè, non solum ex eo fundamento, quod ab Imperatore non recensentur inter actiones bonæ fidei in §. 28. l. de actionibus, (quod fortasse non convinceret, ut in simili dixi de contrahibus innominatis) sed magis ex eo fundamento, quod in hac actione non petantur fructus percepti ante litem contestatam, sed solum post litem contestatam. l. 4. §. 2. ff. h. t. [Post litem autem contestatam etiam fructus venient in hoc iudicio, nam & culpa, & dolus inde præstantur. Sed ante iudicium percepti non omnimodo in hoc iudicio veniunt: aut enim bonâ fide percepti, & lucrari cum oportet, si eos consumpsit, aut malâ fide, & condici oportet.]

1134. QUÆRITUR 2. An hæc actio etiam locum habeat in finibus prædiorum urbanorum. Ratio dubitandi est, quia illorum fines per parietes ita discernuntur, ut confundi non possint: quoad hoc questum audienda est lex 4. §. 10. ff. h. t. [Hoc iudicium locum habet in confinio prædiorum rusticorum, in urbanorum displicuit. Neque enim confines hi, sed magis vicini dicuntur, & ea communibus parietibus plerumque discriminantur: & ideo, & si in agris

Christi. Haun. de Just. Tom. IV.

ædificia juncta sint, locus huic actioni non erit, & in urbe hortorum latitudo contingere potest: ut etiam finium regundorum agi possit.] Quod si in prædio rustico confinia confundentur per positionem alicujus ædificii, adhuc daretur hæc actio, sicut, si per arborum plantationem. l. 2. pr. ff. h. t. [Hæc actio pertinet ad prædia rustica, quamvis ædificia interveniant: neque enim multum interest, arbores quis in confinio, an ædificium ponat.]

1135. QUÆRITUR 3. An soli Domino directo agrorum detur hæc actio. Datur etiam Emphyteutæ, fructuario, creditorum habenti hypothecam & possidenti. l. 4. §. 9. ff. h. t. [Finium regundorum actio, & in agris vectigalibus, & inter eos qui usumfructum habent, & Dominum proprietatis vicini fundi, & inter eos qui Iure pignoris possident, competere potest.] & à fortiori vasallo, cum huic etiam rei vindicatio competat.

1136. QUÆRITUR 4. Ad quam se hæc actio extendat. Non solum ad terminos materiales fundorum discernendos, sed etiam ad ea quæ terminis cohærent, ut est Ius Iurisdictionis. cap. 4. de Parochiis. quod sic habet. [Super eo verò, quod apud vos interleximus dubitatum, an quod de finibus, & his quæ finibus adhærent, non praescribendis statutum per Canones esse dignoscitur, sit in paræciarum limitibus, sicut in Provincialibus admittendum. Respondemus, quod bene videtur in utroque servandum, si fines legitimâ probatione, vel aliâ indubitata fide constitit Ecclesiasticâ ordinatione statutus.]

1137. QUÆRITUR 5. An in hac actione veniat etiam interesse illius, cui terminorum confusio damno fuit cum lucro alterius. Affirmativè. l. 4. §. 1. ff. h. t. [In iudicio finium regundorum etiam ejus ratio sit, quod interest. quid enim si quis aliquam utilitatem ex eo loco percepit, quem vicini esse appareat? iniquè damnatio eo nomine fiet.]

QUÆRITUR 6. Quanto tempore præscribitur hæc actio. Zafius post plures veteres vult præscribi spatio longi temporis, sicut aliarum rerum dominium. & habet pro se textum in lege 2. §. sed est fundus. C. l. qui fundum. §. 1. ff. de usucap. pro empt. ubi dicitur, si fundus sit ab aliquo emptus, deinde autem ampliores fines possedit, illud totum usucapit longo tempore. Nihilominus in contrarium facit textus supra allatus pro actione familia eriscundæ, ubi expressè dicitur, actionem finium regundorum non nisi 30. annis præscribi. & lege fin. C. hoc tit. [Cum ceteris Motionibus & Machinationibus amputatis decernimus, in finali questione non longi temporis, sed 30. tantum annorum præscriptionem locum habere.] Quod si leges Digestorum aliud voluerunt, Iure Codicis sunt abrogatæ. Quamvis ille leges fortè non loquantur de præscriptione actio-

Yy

actio-

## CONTROVERSIA VII.

## De Quasi Contractu ex Hæreditatis additione.

## SUMMARIUM.

actionis finium regundorum, sed tantum de usufructu illius glebæ, quam ut meam bonâ fide cum titulo possedi, per longum tempus, quod fieri potest absque terminorum confusione propriè dicta, & prout communiter fieri solet insensibiliter, nec tamen à simul.

1138. QUÆRITUR 5. Quomodo se habeat in finali iudicio & quaestione gerere debeat. De hoc varia variis Iuribus esse constituta. lege 11. ff. h. r. dicitur, antiquos terminos attendendos per se loquendo: *Ad id si non varietate factæ, bonum, & arbitrio possessorum fines additis vel detractis agris postea permutatos probetur.* & l. seq. dicitur: quod si venditor duorum fundorum confinium novos terminos posuit, illis standum sit. & lege 8. [Si irruptione fluminis fines agri confundit inundario, ideoque usurpandi quibusdam loca, in quibus Ius non habent, occasionem præstat, Præles Provinciæ alieno eos abstinere, & Domino suum restitui, terminosque per mensorem declarari jubet.] & §. 1. [Ad officium de finibus cognoscendis pertinet mensores mittere, & per eos ditinere ipsam finium quaestionem, ut æquum est, si ita res exigat, oculisque suis subiectis locis.] *Leg. 2. §. 1.* [Iudici finium regundorum permittitur, ut ubi non possit dirimere fines, adjudicatione controversiam dirimat. & si forte amovendæ veteris obscuritatis gratiâ per aliam Regionem fines dirigere Iudex velit, potest hoc facere per adjudicationem & condemnationem.] & l. 3. [Quo casu opus est, ut ex alterius prædio alii adjudicandum sit, quo nomine is cui adjudicatur, invicem pro eo, quod ei adjudicatur, certâ pecuniâ condemnandus est.]

Denique accuratius in §. 6. Inst. de officio Iud. sic habetur. [Si finium regundorum actum fuerit, dispicere debet Iudex, an necessaria sit adjudicatio: quæ sanè uno casu necessaria est, si evidentioribus finibus distingui agros commodius sit, quam olim fuissent distincti, nam tunc necesse est ex alterius agro partem aliquam alterius agri Domino adjudicari: quo casu conveniens est, ut is alteri certâ pecuniâ debeat condemnari. Eo quoque nomine condemnandus est quisque iudicio, quod fortè circa fines aliquid malitiosè commisit, v. g. quia lapides finales furatus est, vel arbores finales excidit. Contumaciæ quoque nomine quisque eo iudicio condemnatur, veluti si quis jubente Iudice metiri agros passus non fuerit.]

1139. QUÆRITUR 6. An illa pars finium quæ ob incommoditatem divisionis uni adjudicatur, fiat illius absque alia traditione. Negat Accursius: sed affirmandum est ob textum apertum §. 7. Inst. de Off. Iud. Quod autem illis Iudicis alieni adjudicatum fuerit, id statim ejus sit, cui adjudicatum est. Quod etiam intelligendum de adjudicatis in Iudicio fam. eriscuanda, & communi dividunda.

Quando hæres censetur quasi contrahere cum legatariis, 1140.  
An ex hoc etiam obligetur Creditoribus defuncti. 1141.

1140. Hæres adeundo hæreditatem defuncti, qui legata reliquit, censetur quasi contraxisse cum legatariis, quibus hoc ipso tenetur ad præstanda legata. Ex hoc quasi Contractu datur legatariis actio legati, vel, ex testamento, adversus hæredem ut legata solvat. De quo actum est tom. 1. tract. 7. cap. 3.

1141. QUÆRITUR, an ex quasi Contractu hæres obligetur etiam Creditoribus defuncti. Ratio dubitandi est, quia certum est, quod illis debeat solvere debita relicta. Deinde etiam certum est, quod ipse hæres cum creditoribus nihil contraxerit: sed neque ex delicto tenetur: ergo ex quasi Contractu: nam hac solâ & non aliâ ratione videtur probari, quod hæres teneatur legatariis. Hoc tamen non obstat, quod Hæredem Creditoribus non teneri ex quasi Contractu. Neque Imperator in §. 5. Inst. ratione adductâ utitur ad probandum, quod hæres teneatur legatariis ex quasi contractu, sed aliâ: *Negus enim, inquit, cum hæredem, neque cum defuncto ultimum negotium legatarius gessisse propriè dici potest.* Ecce! dem dicit: *Negus cum defuncto, jam non potest ejus argumentum applicari Creditoribus: nam isti cum defuncto verè & propriè contraxerunt.*

Cum ergo hæres repræsentet defunctum, conveniatur à Creditoribus ex illo contractu, quem cum defuncto celebravit.

Neque refert, quod hæres sit alia persona distincta realiter à defuncto. Nam ob repræsentationem defuncti qualitas obligationis quæ defunctus tenebatur immutari non solet. l. 2. §. 2. ff. de V. O. ubi. *Non enim ex persona hæredum conditio obligationis immutatur.*



CON-

## CONTROVERSIA VIII.

## De Quasi Contractu ex detentione aliquid rei: sive: de actione ad exhibendum.

## SUMMARIUM.

Quando datur actio ad exhibendum, 1142.  
An sit actio dicenda Realis an Personalis, 1143.  
Quibus hac actio competat, 1144.  
An aliquando datur contra ipsum Dominum rei detentione eod.  
Quenam res cadant sub hac actionem, 1145.  
Contra quos datur, 1146.  
Sive conventus noluit exhibere, quid porro agendum, 1147.

1142. Quando alius detinet rem aliquam, quam nostrâ interest exhiberi, ut cognoscere possimus, an non in illa re Ius aliquod habeamus, censetur deinceps nobis ex Quasi Contractu obligari, & datur actio quæ dicitur ad exhibendum, de qua tam in Digestis, quam in Codice extat titulus: & in Institutionibus in de Off. Iudicis. extat §. 3.

Sicut autem actiones familiæ Eriscuanda, communi dividundo, Finium regundorum, ita etiam actio ad exhibendum est Actio mixta; de qua

1143. QUÆRITUR 1. An sit actio Realis dicenda, an Personalis, sive, quod idem est, an sit in rem, an in personam. Esse Realem, seu in rem contendit Donellus. Sed Vlpianus expressis verbis dicit, esse Personalem. l. 3. §. 3. ff. h. r. est autem, inquit Personalis hac actio: *Qui competit, qui in rem acturus est: nempe postquam res est exhibita. Respondet quidem Donellus, dici personalem hoc sensu, quod non datur contra hæredes detentoris. Verùm, hac ratione Vlpianus valde turpiter æquivocasset, & verbis abusus esset, ac sine causa improprie locutus.*

Ceterùm, negari non potest (nec argumenta Donelli plus evincunt) hanc actionem participare plurimum de actione reali, & ideo dicitur actio mixta, seu Personalis in rem scripta: participat nimirum hoc, quod non datur contra aliquem, qui nec detinet, nec dolo malo desit possidere. De reliquo convenit cum actionibus personalibus, quarum differentiam à realibus explicuimus tom. 1. tr. 2. à num. 60.

1144. QUÆRITUR 2. Quibus hac actio competat. Competere omni illi, cuius interest rem exhiberi, quia verò præcipue interest Domini, seu illius, qui adhuc probabiliter opinatur, aut suspicatur, se esse talis rei Dominum, ideo etiam præcipue competit Domino, diciturque actio præparatoria ad rei vindicationem.

Christ. Haun. de Just. Tom. 1. 16.

Neque enim talis dabitur potest agere rei vindicatione, nisi prius cognoscatur rem ad se pertinere: quid enim res fuerit quidem illius, sed per accessionem vel alio modo acquirendi Iure gentium dominium ipso iudicio ad alium pervenit: per exhibitionem ergo constabit, an locus sit rei vindicatorii.

Deinde competit etiam alii aliquo Ius in tali re habentibus, & qui forte possunt deinde agere in rem. l. 3. §. 3. ff. h. r. ubi. [Et ei competit, qui in rem acturus est, quæcumque in rem actione, etiam pignoratitia, Serviana, seu hypothecaria, quæ creditoribus competunt. Sed & usufructum petitorum competere ad exhibendum Pomponius ait.] & §. 10. in exemplo alio declarat, quomodo possit interesse, rem exhiberi, etiam necdum Dominus sim, sed exhibitio est hic & nunc necessaria, ut possim acquirere dominium. [Ut puta, si mihi servus legatus sit, quem Titius optasset: agam enim ad exhibendum, quia meâ interest exhiberi, ut Titius optet, & sic vindicem, quamvis exhibitum ego optare non possim.]

Imò, quod mirabilius est, datur hac actio quandoque contra ipsum dominum, cuius rei exemplum est in lege. 2. C. h. r. [Si criminis aliquid reus servus postulat, pro ad exhibendum actionem produci à domino, non clari debet.]

1145. QUÆRITUR 3. Quenam res cadant sub hac actionem. & 1. & generaliter, non res immobiles; nam hæc, cum occultari non possint, exhibent se ipsas: adeoque res solæ mobiles, quæ occultari, & contractari possunt. Vnde quando in lege pauld ante citata dicitur, etiam rem usufructuariam posse peti ut exhibeatur, intelligitur de re mobili in qua usufructus constitutus putatur. & 2. Non sufficere, si actor petat in genere, sibi exhiberi mobilia: nam hac ratione posset quis adigi ad omnia sua recondita manifestanda, quo nihil esset absurdum, sed debet actor posse rem specificè declarare, v. g. equum talis coloris, talis stature, &c. l. 3. pr. ff. h. r. [Actor omnia nosse debet, & dicere argumenta rei de qua agitur.] & 3. & magis in specie, ad hanc actionem pertinet chartas & instrumenta, quæ pars ad verâ detinet. l. 6. C. h. r. [Instrumenta ad jus tuum pertinentia partem diversam in vase asseverans, si ad exhibendum intendis, iudiciorum more experire.] Idem habetur l. 9. §. 4. Imò agitur quandoque ad exhibendas res destructas, vel dolo à possessione remotas. l. 9. ff. h. r. per totam bene longam, ubi plura exempla referuntur, unum alterumve sufficiat inde retulisse. Si quis hominem, quem possidebat, occiderit, sive ad alium transtulerit possessionem, sive ita rem corruperit, ne haberi possit, ad exhibendum tenebitur. Proinde & si vinum vel oleum vel quid aliud effuderit, vel confregerit, ad exhibendum tenebitur. Item si

Ny 2

glanb